



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

Ionn. 8. & quia non inueniebant Iudæi quomodo eum damnarent, adulteram adduxerant ei. Et hoc respondit Iesus: *Ibidem.* *Si quis ex vobis est sine peccato, iniiciat in istam lapidem.* Et per hæc verba euangelica iudicabat sedem suam. Actum in basilica elementa. Hoc indiculum collegit archidiaconus presbyter, & ipse quasi in chartarium ecclesiæ collocavit.

euangelia in loco vbi scriptum est: *Sedente Iesu, & scribente digito in terra,* & quia non inueniebant Iudæi quomodo eum damnarent, adulteram adduxerant ei, & hoc respondit Iesus: *Si quis ex vobis sine peccato est, iniiciat super istam lapidem,* & per hæc verba euangelica iudicat sedem suam. Actum in basilica Heliana.

TERTIA EDITIO
PROCESSVS SIXTI PAPÆ III.
E DVABVS PRÆCEDENTIBVS CONFLATA,
& ad sensum aliquem reducta.

CAPVT I.

VALENTINIANO & Anatolio viris clarissimis consulibus, Crescentius quidam ex nobilibus timens Deum, quas comparauerat per annos vitæ suæ omnes facultates suas ecclesiæ reliquit, & ex integro ecclesiam fecit heredemque instituit, in qua dimisit prædium in partibus Siciliæ, quod nominatur Arganum, quod præstat solidos septingentos. Secus hoc prædium proxime non longe erat prædium Mariniani. Veniens autem in urbem Romam Octavius seruus Mariniani, intimauit Mariniano, & laudauit prædium ecclesiæ. Tunc Marinianus perrexit ad episcopum vrbis Romanæ Sixtum, & cœpit rogans postulare ab eo fundum ecclesiæ supradictum. Respondens Sixtus episcopus vrbis Romæ, dixit: Nihil ex meis redditibus, carissime fili, accreuit ecclesiæ, vnde pauperum senecta subleuari desiderat, nec ego veni ecclesiam subuertere. Hoc audito, Marinianus* tabuit in- * abiit tra semetipsum, & discessit ab eo.

CAP. II.

Epiphanius igitur ingenuus ex nobilibus parentibus

procreatus, & facultatibus diues, hic nutritus fuerat quasi in domo Bassi exconsulis. Litigium ergo inter seruum Bassi & Epiphanium hoc euentu nascitur. Hic venit ad Sixtum episcopum, & cœpit rogare eum, vt ingenuitas eius seruaretur per ecclesiam. Veniens autem Sixtus episcopus vrbis Romanæ ad Bassum, cœpit rogare eum de ingenuitatis munimento. Tum iratus Bassus, respondit ad Sixtum episcopum: Nemo iudicabit dominum ex consilio serui. Nam & misit, & vniuersa prædia eius occupauit.

CAP. III.

Exiens autem & Sixtus episcopus, venit ad Valentinianum Augustum, & cœpit rogare eum de ingenuitate Epiphanii, tantum vt chirographo Augusti munitus, per ecclesiam vindicaretur. Et cœpit studiose (sicut decet ecclesiam semper) subleuare grauatos. Iratus autem Marinianus de his quæ supradicta sunt, venit ad Bassum, dicens quasi de malitia Sixti episcopi, & quod per Petrum seruum episcopi Sixti audierat, eo quod consecratam Chryfogonitem stuprasset.

CAP. IV.

Consilio inito, cœperunt ambo accusare eum Augusto Valentiniano, ita vt accenderentur Augustus & mater eius furore. Et suspenderunt se abinuicem a communionem. Sixtus autem episcopus vrbis Romæ, sciens omnia quæ de eo apud Augustum delata fuerant, & quod ab eius communionem multus populus se segregaret, venit in basilicam beati Petri apostoli, & fecit quasi supra scriptum verbum, & per Leonem diaconum populo enarrabat, dicens: Si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis vrbana plebs clamare, vt dicta eius Augustus & clerus vrbis Romæ probarent examine.

CAP. V.

Hoc audito, Valentinianus Augustus dixit: Pia petitio. Et iussit fieri secundum dicta. Et congregauit vniuersum senatum vrbis Romæ. Et Sixtus episcopus congregauit presbyteros vrbis Romæ, & clerum, nec non & monasteria seruorum Dei. Et sederunt in vno confessu in basilica Heleniana, quæ dicitur sessorium. Et cœpit studio-